

I. **Cyclus Paschalis** distinguitur in tres regiones, Intimam, Mediam, & Extimam; Regio quælibet in partes.

Regio intima continet in parte suâ interiori Cyclum Lunæ, sive Aureos Numeros; in exteriori Epactas Anni Gregoriani, singulis Aureis Numeris respondentes. Qui verò investigetur Aureus Numerus cujusq; anni, discitur ex commentario Canonis Tertii, pag. 29. Regio media ostendit Cyclum Solis cum literis Dominicalibus. Methodus ejus Cycli inveniendi traditur in commentario Canonis Tertij, pag. 32. Ex quo postea cognoscitur in parte interiori, quæ sit litera Dominicalis utriusq; anni, sive in utroque Calendario Veteri & Novo. Pro Veteri Calendario nulla est alia, nisi quam ostendit partis interioris & exterioris connexio. Sed pro Novo Calendario progressio fit numerando inclusivè à litera Dominicali Veteris Calendarii ad decimam usq; Literam, quæ, propter dies decem-exemptos, indicat literam Dominicalem Novi sive Gregoriani Anni. Quod si annus fuerit intercalaris sive Bis sextilis numeratur utraq; litera Dominicalis